

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2004

Auteur(s) : Gautier de Coutances, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Longueville-sur-Scie, Sainte-Foy (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1184-1200]

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Gautier, archevêque de Rouen, apaise le différend qui s'est élevé entre les moines de Longueville et le prêtre de Saint-Jouin au sujet du partage des revenus du bénéfice.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Chartes du prieuré de Longueville, de l'ordre de Cluny, au diocèse de Rouen, antérieures à 1204*, Rouen-Paris, Société de l'histoire de la Normandie, 1934, n° XCVIII, p. 109-110.

Dissertation critique

Fin XIIe s., datation proposée par p. Le Cacheux. Cf. *Épiscopat de Gautier de Coutances, archevêque de Rouen, 1184-1207*.

Texte établi d'après a

Walterus, dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, universis sancte matris ecclesie fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit salutem, gratiam et benedictionem. Noverit universitas vestra questionem que inter dilectos filios nostros priorem et monachos de Longavilla et T. presbiterum Sancti Jouini versabatur ita coram nobis fuisse sopitam quod predictus t. presbiter in presentia nostra recognovit medietatem altalgii Sancti Jouini et medietatem terre elemosine ad eandem ecclesiam pertinentis et unum hospitem juxta ecclesiam manentem ad jus monachorum pertinere sicut et eisdem monachis auctoritas prius adjudicaverat apostolica. Ipsi tamen monachi pro bono pacis et amoris gratia medietatem altalgii que eos contingit predicto t. presbitero sine medietate predictae terre et sine hospite predicto nomine firme quoad vixerit pro iiiij libris per annum concesserunt habendam, hac condicione quod garbe predicti t. presbiteri cum garbis monachorum in grangia eorumdem monachorum colligentur, et nisi jam dictus presbiter de iiiij libris statutis terminis infra Pascha scilicet vel quando triturbantur garbe monachis satisfecerit, ipsi garbas ejus detinebunt donec eis de nummis fuerit satisfactum. Expensas autem servientium qui garbas colligent et custodient vel quomodolibet super hoc laborabunt, tam monachi quam t. presbiter pro sua portione persolvent, monachi scilicet pro duabus partibus et t. presbiter pro tercia. In grangia autem reparanda sepedictus presbiter nichil nisi terciam partem straminis expendet et neccessarium fuerit stramen ad grangiam tegendam. Hoc autem contractu querele omnes quotquot fuerint sopiuntur. Hoc ut firmum permaneat, sigillo nostro corroboravimus, tam monachis quam T. presbitero presentibus et consentientibus. Testibus his magistro Johanne de Ses, magistro Eustachio notario, magistro Ricardo Grim, Ricardo de Schekevilla et multis aliis.